

BREF DE SA SAINTETÉ PIE XAUX RÉDACTEURS DE LA *Nouvelle-France*

Venerabili Fratri LUDOVICO-NAZARIO,

Archiepiscopo Quebecensium.

PIUS PP. X.

Venerabilis Frater,

Salutem et Apostolicam benedictionem.

Nunciasti Nobis inter cæteros qui istie strenue pro religione operantur, non in postremis censeri eos qui commentaria edunt, quibus a *Nova Gallia* nomen inditum. His videlicet id est propositum Apostolicae Cathedrae documenta tueri, ac duce Thoma Aquinate scientiarum tum naturalium tum divinarum sanam curare progressionem. Scimus autem, ex testimonio tuo, egregios homines propositis hucusque stetisse constanter; suisque studiis ac laboribus non parum contulisse ac conferre ad communem in vestratibus tam Ecclesiæ quam civitatis utilitatem. Placet igitur ad optimarum voluntatum confirmationem, dilecto filio Lionello Lindsay qui commentariis edendis præest, ceterisque dilectis filiis qui suam iisdem dant operam, laudationem publice impertiri; eosque hortari ut, Antistiti suo semper addicti ac Beato Petro in Nobis semper obedientes, ne absistant exceptis, sed, in tanta opinionum fallacia atque errorum colluvie, que vera unice, que recta sunt atque tuta firmissime defendant. Testem caritatis Nostræ ac munerum divinorum auspicem, tibi, Venerabilis Frater, prædictisque dilectis filiis, apostolicam benedictionem peramanter in Domino impertimus.

Datum Romæ apud Sanctum Petrum die XXIII Martii,
anno MCMVIII, Pontificatus Nostri quinto.

PIUS PP. X.